



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitivm
Spiritvale Christianae Pietatis**

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

8. Mysteria Rosarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](#)

PARS OCTAVA.

Mysteria Rosarij.

QVÆ fuerit Rosarij institutio, quæ ap-
probatio, quæ eius institutionē con-
secuta vtilitas, suprà diximus. Hoc tantum
breuiter in præsentia. Rosarium apud Ca-
tholicos aliud nihil est, quām sertū quod-
dam spirituale, mysticis vocibus ex Euan-
gelio depromptis, tanquam rosis contex-
tum, quod virginī virginum, Dei matri of-
ferimus. Serta enim virginū capitibus or-
nandis propriè adhibentur. Rosarium au-
tem cōstat oratione dominica quinquies,
& salutatione Angelica 50. repetita; vnde
Rosariū tertio dictum efficit numerū 150.
in salutatione, qui est numerus Psalmo-
rum Dauidicorum, à quo numero vocâ-
runt trinum illud Rosarium, psalterium
beatæ Virginis. Quinquies in Rosario o-
rationem dominicam repetimus, vt quin-
que vulnerum Christi memoriam refrice-
mus. Salutationem verò Angelicam cui-
que Orationi decies subiicimus, vt in men-
tem nobis veniat 10. Dei mandatorum'.
Eandem 50. toto Rosario iteramus, vt ple-
nam peccatorum remissionem, quæ quin-
quagenario numero Iubilæi in Scripturis
sanctis significatur, intercessione beatæ

Virg.

Virg. per merita dominicæ passionis con-
sequamur.

Porrò ut mens Orantis, cui difficile
videtur, & tædiosum, ad eadem verba to-
ties repetita attendere, fructu suo non ca-
reat, piè ordinatum est, vt quodlibet Rosa-
rium quinque mysteriis perficeretur, qui-
bus meditandis, dum os verba proferret,
mens occuparetur.

Primo Rosario assignata sunt quinque
gaudia Sanctissimæ matris; quinque deca-
dibus accommodata: quibus illa ex his, quæ
circa Christi naturam humanam contige-
runt, affecta fuit: Nimirum ista.

1. *Annuntiatio dominicæ Incarnationis.*
2. *Visitatio Elizabethæ.* 3. *Nativitas Christi.* 4. *Oblatio Christi in tēplo.* 5. *In- uentio pueri Iesu inter Doctores.*

In secundo Rosario memoria fit quin-
que Mysteriorum passionis Christi, quæ
sunt:

1. *Oratio, & captiuitas Domini in horto.*
2. *Flagellatio.* 3. *Coronatio.* 4. *Baiulatio Crucis.* 5. *Crucifixio.*

In tertio Rosario proponuntur quin-
que mysteria gloria post Christi Domi-
ni mortem, nimirum:

1. *Resurrectio Domini.* 2. *Ascensio eius in cælos.*

cœlos. 3. Aduentus Spiritus sancti in Mar-
riam & discipulos. 4. Assumptio B. Vir-
ginis. 5. Coronatio eiusdem.

Ex quibus patet multiplex Rosarij us
sus & fructus: quo scilicet renouatur me-
moria omnium mysteriorum vitæ Chri-
sti, & B. Virginis, capitumque præcipuo-
rum fidei. Quod sanè compendium eo est
apud omnes utilius, quo latius patet eius
usus quam librorum; legi enim potest e-
tiam à literarū imperitis, à cœcis, in equis,
& in curribus, & in tenebris densissimis.
Nunquam verò omittenda sunt myste-
ria, circa quæ intelligentia & memoria
occupentur, et si initio aliquid videatur
habere difficultatis, eorum ita semper me-
minisse. Paucorum dierum usus rem to-
tam facillimam reddit. Simplex certè, &
ieiuna decadum decursio est, & obnoxia
multis distractionibus, parùm consolatio-
nis, multum verò rædij habet, nisi vnà in
decadibus singulis mysterium aliquod e-
uoluas. Si enim mysteria ea omiseris, pri-
uas te saluberrima, suauissima, Deoque &
parenti eius gratissima recordatione diui-
nissimorum vitæ Christi & Mariæ, salu-
tisque omnium nostræ mysteriorum.

E PARS